



*Methodus pro cognitione*

# MENSIVM SVPERFLVEN- TIVM INSERVIENS.

MENSIVM SVPERFLVVS FLVXVS erit cùm is  
amplius non sit ad animalis commodum, & cùm  
nocumentū potius ex eorum fluxu subsequitur. Non-  
nunquā enim plus iusto purgantur, & potissimum quæ  
humidioris sunt naturæ mulieres, propter victum libe-  
raliorem longamve desidiam absque earum læsione,  
sed potius sit cum bona tolerantia, tuncque sistendus  
non est. Quapropter non tantum quantitatem, quali-  
tatemve atque genus substantiæ hic obseruare debe-  
mus, sed potius auscultandum an tēpestiuè vel intem-  
pestiuè, seu ad animalis commodum vel incommodum  
fluant. Subsistere debent lactantibus, vtero gerentibus,  
puerperis. In grauidis tamen primo aliquando mense  
prorumpunt non omnino contra rationē, cùm tunc os  
vteri non ita firmiter adhuc sit constrictum uti aliquan-  
diu post fieri solet, cùm ne minima quidem corpuscula  
tandem admittere soleat vterus. Subinde quoque in  
grauidis etiā postquam arctissimè os vteri constrictum  
fuerit, aut menses (quod virginibus etiam interdum ac-  
cidit) aut quid simile mensibus profundi per ramos ve-  
næ cauæ consuevit, qui inseruntur ceruici oriisque vul-  
uę, ad eum modum quo hæmorrhoides in recti intestini  
extremitatem quasi terminatur.

PARS AFFECTA. Afficitur dum immodicè fluunt  
menses, vterus aut per se, aut simul cū toto corpore, vel  
aliquibus partibus eius. Est autē hic affectus symptomata  
pertinens ad genus immodicè excretorum, estque non  
toto genere præter naturam, uti hæmorrhagia, aliæque  
sanguinis vacuationes, sed sola quantitate.

Cc iiiij